13

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

VENTRICULI ARDORE,

Vom Soodt-Brennen.

Quam

AUSPICE DEO PROPITIO

Et Conſenſu atque Auctoritate Gratioſæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

N. D. MICHAELE ALBERTI,

ACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, ac Promotore ſuo omni honoris cultu proſequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

UMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSUETIS

ANNO MDCCXXXI. D. JANUAR.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

RESPONDENS

JOHANNES EHRENFRIED ZELLER,

LIGNITIO-SILESIUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

PROOEMIUM.

QUantum referat in rationali Medicina ad ſalutares rerum eventus impetrandos non modo cauſas nocivas noſſe, ſed etiam noſſe illas congrue declinare, expugnare & ſubjugare, ipſe ſane naturalis & communis Senſus dictitat & ſignificat, quare *Seneca ep. 94.* eloquitur: *ſi quis furioſo præcepta dat, quomodo loqui debeat, quomodo procedere, quomodo in publico ſe gerere, quomodo in privato; erit ipſo, quem monebit inſanior: bilis nigra curanda eſt & ipſa furoris cauſa removenda:* & porro *ep. 95.* aſſerit: *nihil proderit dare præcepta, niſi prius amoveris obſtantia præceptis:* quo vero huic monito rite obtemperemus, præſtat inter alia veritatis & ſalubritatis offendicula vanas ſubtilitates vitare, quas idem Philoſophus magno ſtudio interdicit & rejicit: huc pertinet illius effatum in *ep. 113. hac ſubtilitate efficimus, ut exercere ingenium inter irrita videamur & diſpu-*

tationibus nihil profuturis otium terrere; repetit hanc aſſertionem in *ep. 82. quædam inutilia & inefficacia ipſa ſubtilitas reddit*, ut & in *ep. 88. audi quantum mali faciat nimia ſubtilitas & quam infeſta veritati ſit:* etenim plurimæ & familiares cauſæ, quæ corporis ſalubritatem offendunt, valde ſunt ſimplices & ex illis naturalibus rerum viciſſitudinibus & relationibus oriuntur, quæ alias in communi vitæ humanæ proceſſu uſitatius obtingunt & alioquin homini familiares eſſe ſolent, ſive ex œconomia animæ, ſive ex vi & efficacia aliarum naturalium qualitatum & mutationum proveniant: quam ob rem utriusque tam animæ, quam corporis communionem indagare & intelligere, imo magis magisque ſcrutari & explicare debemus, quemadmodum alteratio corporis ab anima & hujus alteratio propter diverſum corporis ſtatum, abſcondita & incognita eſſe haud poteſt, hinc *Ambroſius Lib. de bono mortis cap. 3.* judicat: *multas occupationes nobis corporis hujus neceſſitas gignit, quibus impeditur animæ vigor, ac revocatur intentio:* & *Xenophon III. memorab. p. 787.* teſtatur: *ad omnia, quæcunque agunt homines, utile corpus eſt, atque in omnibus corporis uſibus multum intereſt, eſſe quam optime adfecto corpore:* Et quid magis imperfectum animæ & corporis ſtatum nunc prodit, quam dolor, qui modo circa morales reſpectus, modo circa corporis viciſſitudines verſatur, cujus ſicut diverſæ ſunt ſpecies & cauſæ, ita illas exacte noſſe, judicioſe diſcernere, & perite avertere, medici officioſi negotium eſſe debet: quantæ vero paſſim in ſcrutinio & indagatione talium cauſarum circumvolent

opi-

opiniones, ſpeculationes & ſubtilitates, haud prudentem & attentum medicum latet: Quemadmodum etiam œconomia vitæ & ſanitatis variis modis læditur, dum corporis fluidæ & ſolidæ partes, ſubinde etiam motus, variæ functiones & diverſæ qualitates alterantur, ita ex diffuſa hac meditationis ſerie vel ſolum *Calorem naturalem* eximo, qui ſicut multis modis ſalubris eſt, ita non modo per multiplices cauſas offendi, ſed & variis craſſis & ſubtilibus opinionibus explicari ſolet; unde non modo talium alterationum veras, ſed & planas, ſimplices & perſpicuas cauſas noſſe convenit, ne incognita, aut male cognita, aut otioſe & ſpeculative ſubtili cauſa, totum proceſſum medicum & realem applicationem inutilem & inefficacem reddamus: Hic calor naturalis præcipuis illis alterationibus obnoxius eſt, ut nunc defective, nunc exceſſive, nunc inordinate, inconſtanter & turbulenter ſuccedat: ſingula hæc momenta ſpeciali deductione explicare, inſtitutum noſtrum haud eſt; nonnulla de præternaturali, extraordinario & ſic dicto morboſo illius augmento præfari ſuffecerit, dum auctior talis gradus nunc in æſtu, alibi in ardore conſiſtit, qui poſterior alterum gravitate ſuperat, ſiquidem inter alia differentiæ ſpecimina, æſtus ſemper moleſtus, raro dolorificus, ardor vero ſemper moleſtus & ſimul dolorificus exiſtit; unde germani etiam diſtinguunt inter Hitze und Brand, adeo ut tepor, calor, æſtus & ardor, Lau, Wärme, Hitze und Brand gradu diſcrepent: & hiſce diverſimode occurrentibus qualitatibus corpus anima-

le obnoxium eſt, ita ut in ſtatu ſanitatis tepor, calor & æſtus occurrere ſoleant, haud vero ad ordinarium, ſed potius ad ſtatum offenſionis morboſæ ardor pertineat, quamvis tepor & æſtus ſub aliis circumſtantiis æque morboſis annumerari queant qualitatibus: hic ardor morboſus ſicut gravitate reliquos caloris gradus ſuperat, ita tamen utplurimum in morboſo ſyſtemate unam aut alteram tantum corporis regionem & partem occupat, hinc infrequentius occurrit, ut totum corpus ardore tali laboret, quæ offenſio intolerabilis eſſet: & ſi in Febribus ardentibus totum corpus æſtuat, tamen ardens ſenſus & dolor præcipue in ventriculo & ſub ſcrobiculo cordis angit & urget: quid quod ſi aliquando in febricitantibus plethoricis, de calido temperamento participantibus, ut & regimine & medicaminibus calidis tractatis, externum corpus ardore intenſiori perfuſum eſt, ut ægrotantes conquerantur, quaſi corpus flammeo æſtu comburatur, als wann der Leib in Feuer läge, tamen in internis ſingulis partibus ardor ille haud percipitur: quare evenit, ut in variis affectibus particularis ardor affligat: ſiquidem aliquando interna urunt, externa frigent; quandoque in interna capitis regione, interdum in externa ardor ille percipitur, ut propterea vel ſub tranſitoria aliquando phlogoſi homines exclament, quaſi flammeus æſtus faciem obruat, es ſchlage einem als eine brennende Glut ins Geſicht, cujusmodi phænomena non modo in inſultibus phreniticis & eryſipelaceis obtingunt, ſed illis aliquando accidit ſubjectis, quæ intenſiora

moli-

molimina, ad Hæmorrhagias narium tendentia & in faciem exeuntia ac ſe diffundentia experiuntur, in quibus conſpicuus faciei rubor, inſolitus plane & eximius, hunc ardorem prodit: quandoque fauces inſignis ardor detinet, ſub angina & rhevmatiſmo, ut & aphthis: modo in diverſis abdominis partibus ſimilis ardor affligit, nunc ardor urinæ cruciat, modo dejectionem alvi bilioſam valde moleſtus & dolorificus ardor comitatur, alibi ardor eximius cum dyſenteria concurrit, uſitatius ingeſtionem remediorum aloeticorum, præcipue minus bene correctorum & copioſa quantitate propinatorum ſequitur, quandoque cum ulceribus & vulneribus coincidit, communiter inflammationes, aliquando congeſtiones, interdum febres, quandoque ſpaſmos & nonnunquam ſtagnationes aut ſtaſes humorum, intemperie acri præditorum, comitatur: nec deſunt teſtimonia quod in quibusdam hecticis, tenerioris præcipue corporis, ardor hic genas & volas manuum adeo occupaverit & moleſtaverit, ut veſicæ aut puſtulæ combuſtione quaſi provocatæ effloreſcant: non raro idem ardens dolor tales cutaneas efflorefcentias, velut variolas, morbillos, purpuram miliarem & urticatam, ſerpigines &c. comitari ſolet: quidquod utplurimum puſtulæ ſingulares oborientes, multoque ardore ſtipatæ, deteriores conſecutiones involvunt, ex quibus obſervationibus facile inclareſcit, quam frequens non modo hujus ardoris ſit offenſio ac invaſio, ſed & quam diverſas corporis regiones, partes & functiones afficere & alterare ſoleat: inter

illos

illos Ardores, qui crebro occurrere ſolent, notatu etiam ille dignus eſt, qui ex parte *Ventriculum* corripit, multam moleſtiam creat, atque eximium angorem cauſatur; qui dum varia ſubjecta invadit, in multis frequentius recurrit, ex variis inſuper cauſis oritur, adeoque ſolidam ac ab otioſis ſubtilitatibus liberam contemplationem meretur, eapropter præſenti Inaugurali diſſertatione de hoc VENTRICULI ARDORE agere propoſuimus: cui inſtituto ut Summus ac cœleſtis noſtrarum actionum Moderator divina benedictione annuat, efficiatque ut exoptato ſucceſſu beetur, ac proſperum finem conſequatur, eſt quod humillimis precibus flagitamus & contendimus.

§. I.

PRæſentis thematis argumentum comprehendit Affectum, qui *Medicis aliisque* notatione ſua *nominali* & ex parte *reali*, admodum cognitus & perſpectus eſt, cujus explicationem ſuſcipientes, denotationis *non tam* verbalis aut nominalis, quam *paulo magis* realis ſenſum & interpretationem brevi commendatione præmittere placet: Vulgo in ſchola Medica audit *Ardor ventriculi*, non tam a *formali* ejus ratione & indole, ſed *moleſto* quem infert, *ſenſu*; nec tamen *totius* ventriculi ardentem moleſtiam aut dolorem complectitur, ſed *peculiarem* ejus regionem; ſiquidem in *variis aliis* ventriculi regionibus *ſenſibilis* ardor ſub *aliis* morbis occurrit, qui tamen *præſentem* affectum haud conſtituit, quemadmodum *Heurnius & Varandæus de morbis Ventriculi*, *Foreſtus Lib. 18. Platerus in Praxi Tom. II. de doloribus cap. XI. Bone-*

tu

tus in Sepulchreto anatom. Tom. II. Lib. III. Sect. 7. Joel in Prax. Lib. 4. Sect. 2. aliique, diſcrepantis hujus ardoris ventriculi mentionem faciunt; quam ob rem *haud de omni &* quolibet ardore ventriculi nobis præſenti tractatione ſermo eſt: interim hic affectus *ardente* moleſtia ac dolore ſe prodit, de quo affectu *Sennertus Prax. Med. Lib. III. Part. 1. Sect. 2. cap. 16.* dicit, quod *Malum hoc ſanis aliquando etiam ſæpe familiare ſit;* ita ut ſub *benigna*, nec moroſa, captioſa, aut rigoroſa interpretatione aſſeverare queamus, quod interdum hic affectus ſit *Morbus* ſanorum. Ardorem præcipue in hoc affectu medici exprimunt & juxta *Sennertum* l. c. *ſtomachi ebullientem:* de hoc *Joel in Prax. Lib. 4. Sect. 2. p. 306.* dicit: quod ſit ἔγκαυσις τ͂ ςομάχȣ, *fervor ſtomachi in orificio ſiniſtro ventriculi & tota gula inter concoctionem obtingens, finita hac remittens*: hunc ardorem *Hertodt in Crocologia cap. 15. p. 155.* ita deſcribit: *tantus ſæpe ardor infeſtat ſtomachum, ut ardentem carbonem ſubſtratum jurares: Platerus* de hoc ardore l. c. aſſerit: *quando eructare volunt, vehementem ardorem ſentiunt, intercluſo velut igne flammeo, nec erumpere valente, idque poſt cibum ſumtum præſertim, corporeque validius per equitationem aut curſum, aliumve motum validiorem commoto,* quando quidam medicorum hunc ardorem *ebullientem* nominant, tunc fidus Sennerti ſectator & interpres *Ettmüllerus*, ubi in *Praxi de Ardore ventriculi agit, materiam excrementitiam* accuſat, ut *quaſi copioſi fumi ſulphurei per gulam adſcendant:* ſimili ratione *Bonetus in Polyalthe Lib. IV. c. XI. p. 341. ex Blancardi Praxi Med.* hoc prædicatum ex theoria *fermentationis* & *efferveſcentiæ acidi & alcali* interpretatur, cujus inſeparabilem & perpetuam *quaſi* qualitatem

tatem *ebullitionem* eſſe, tyrones etiam chymiæ ſciunt; hinc multi medici hunc affectum *Sodam* nominant, & plane aſſerunt, quod Germanica hæc ſit vox der Soot oder Sodt, quamvis *Hæferus in Hercule Medico Lib. 3. cap. 1.* aſſerat, quod *Barbara* hæc vox ſit; licet *Arabes* Sodam vocarint *dolorem capitis vid. Corbæus in pathol. Lib. 2. Sect. 4. c. 7. Dietr. in tr. p. 624. Joh. Popius in theſ. medico l. 2. p. 318. ſeq. Avicenna in indice ſub titulo antiqua expoſitio arabicarum vocum*; quam ob rem non incongrua conjectura eſt, quod, dum hic affectus juxta nonnullorum ſententiam cum effervescentia *acidi* & *alcali* illuſtratur & explicatur, *Soda* vero Hiſpanorum præcipuum ſubjectum *alcalinum* exiſtat, hoc *nexu* etiam per Metonymiam effectus hic affectus *Soda* nominetur; aliqui illum affectum *Fervorem* ventriculi, & *Zacutus Luſitanus in Prax. admir. Lib. 2. obſ. 4. phlogoſin* ſive *excandeſcentiam ventriculi* vocant: ex *Paracelſo Part. 3. Lib. 2. de tartaro tract. 5. c. 1. Helmontius* illum in *tr. ſextuplex digeſtio alimenti humani ſ. 14. de flatibus ſ. 69. & in tr. de retentis; Orexin* nominat: ab ardore itaque nuncupatur, Soodt-Brennen, Brennen des Soodts; præterea ſunt quidam, qui hunc affectum ἔγκαυσιν τ στομάχȣ nominant; de hac voce, qua ἔγκαυσις audit, dicit *Foeſius in œconomia Hippocr. Æſtus, ardor, incenſio dicitur Galeno Lib. 1. de diff. Febr. in febrium cauſis, cauſis caloris in corpus actio, ſive a ſole, ſive ab igne, ſive a re aliqua calorem excitante, utpote medicamento calore præter naturam corpus incendatur:* ſic aliquando per homonymiam hic affectus appellatur ἔγκαυμα juxta *Gorræum in definitionibus inuſtio*, καύσωμα *inflammatio & ardor:* de qua poſteriori *Foëſius* ait: καύσωμα τὴν πύρωσιν *igneum ardorem exponit*

in

in exeg. Galenus ap. Hipp. ex Lib. 1. de morb. min. verum ut ingenue fatear, quis nam ſit liber primus de Morbis minor. Hippocr. nondum mihi ſatis compertum eſt: & hæ denominationes in eo conveniunt, quod hic affectus *intenſiori* moleſto & *dolorifico* æſtu in ventriculo ſeſe prodat, uti *Grülingius in Med. Pract. Lib. 3. Part. 1. cap. 12.* loquitur: Der Magen-Soodt, *ardor ventriculi in quo ad eructandum aliquis impellitur cum ſenſu viæ quaſi medio interclusæ & ardoris cujusdam*, quæ *Plateri* verba ſunt, ex quo *Bonetus in Polyalthe l. c.* hæc verba profert: *cauſa* (videl. hujus affectus) *eſt humor acris & calidus, in ventriculo velut ebulliens & e bullis quas excitat disruptis flatum, vel vaporem, flammæ inſtar ardentem, ſurſum ad os ventriculi demandans, conatum eructandi illum, qui in affectu Sodt dicto, (Sabaudis la Couraille) ſentitur, cum ſenſu ardoris parit, ſed quia flatus antequam per œſophagum perrumpit, diſpergitur, ructum nullum edere poteſt.*

§. II.

Eſt itaque hic ardor ventriculi, quoad genuinam ſuam indolem & *formalem* rationem *intimior ſanguinis congeſtio in ſiniſtram ventriculi regionem tranſiens, nunc moleſtæ ſanguinis plenitudini, nunc acriori ventriculum offendenti materiæ, imo quandoque aliis venrriculi & abdominis, præc. hypochondriorum individualibus & minus adſuetis moleſtiis oppoſita:* ipſe quidem affectus moleſtia, imo dolore *ardente* ſeſe prodit; quare quidam medici *cardialgiæ* ſpeciebus eundem annumerant; ſicut præter *Platerum* & *Foreſtum*, *Lentilius in Jatromnematibus theoretico-Practicis Part. altera cap. XI. in ſcholio (a) p. 444.* ait: *Soda eſt cardialgiæ ſpecies illa, quæ cum ardore conjuncta eſt:* Dolor itaque in hoc affectu

ardens eſt, qui ex *fundo* ventriculi in *ſtomachum*, ſive *ſuperius*, ſive *ſiniſtrum* orificium & *œſophagum* adſpirat, imo aliquando *totum gulæ* tractum implet & afficit, ut *flammeus* velut æſtus e ventriculo ebulliat; ſicut illi conqueruntur, in quibus copioſius ingurgitatus ſpiritus ardens flammam concipit: quemadmodum vero hic ardor *peculiarem* ſpeciem *morboſæ* afflictionis conſtituit, ita partim ab *aliis doloribus* ventriculi, qui *non* ſunt ardentes; partim ab *aliis ardentibus* ventriculi doloribus diſcrepat; hinc communiter cum *ardente febre* talis dolor concurrit, *vid. Poterius Cent. 2. cur. 49.* non minus *inflammationem* ventriculi, undecunque illa originem traxerit, ardor eximius comitatur, id quod etiam in *Eryſipelacea* ventriculi afflictione obtingit, hinc referente *Boneto in Polyalth. p. 342.* dicit *Platerus*: *ardentiſſimus ſine dubio dolor erit & periculoſus, ſi Eryſipelas ex ſincera bile in ſubſtantiam illius infuſa naſcatur: vid. Vidus Vidius de Curat. membran. Lib. 9. c. 3. p. 414.* nonnunquam vehemens ardor in ventriculo oritur ab ingeſtis *venenoſis*, *corroſivis*, *cauſticis*, *draſticis* ſubjectis, ut & *emeticis* & *purgantibus* potentioribus, *acrioribus* & inſecuris, nec non *diverſis mercurialibus* remediis, qualis caſus ante plures annos obtigit D. D. Præſidi in fœmina cui *mercuriale ſecretum* remedium, inſtar Panaceæ propinatum fuerat, quod vero loco promiſſi & ſperati effectus, tales operationes præſtitit, ut neceſſitas poſtulaverit, ejusmodi auxilia ordinare, quæ alias *veneno* ingeſto opponi debent & ſolent; inter illa vero pernicioſorum effectuum ſpecimina, fuit etiam intenſiſſimus ventriculi ardor; non minus talem affectum ex *purgante* ortum ſeorſim recenſet *Riedlinus Lin. Med. An. 1. Septembr. obſ. 29. p. 310.* *Platerus* allegat *ventriculi ardorem cum colico dolore ex helleboro. Lib.*

2. *Lan-*

2. *Langius in Patholog. animat. c.33. ſ.3. p.342.* ait: *imbecillitas ventriculi ſ. apepſia & cruditas ventriculi dolores graves, eroſiones, ardores &c.* ſic quandoque ſuſpectus ventriculi ardor comitatur *febres malignas*, quamdiu *materia* maligna ex parte ventriculum hujusque confinia afficit, nec ab *intra extrorſum* translata, aut *extra introrſum* delata & *retropulſa*, vel alioquin *inſufficienter* evacuata eſt & in nonnullis ſubjectis *circa ventriculum* fluctuat ac obhæreſcit, teſtimonio febrium *petechialium, purpuratarum epidemicarum, petechizantium*, hinc patientes quandoque conqueruntur, es brenne ſie ums Hertz, um und in den Magen, im Unterleib wie Feuer: quo ſpectat Hiſtoria, quam commemorat *Riedlinus Lin. Med. de ardore ventriculi febrem malignam ſubſequente, An.3. Sept. obſ. 27. p. 647. Foreſtus Lib. 7. obſ. 1.* allegat: *febrem acutam cum inſigni ventriculi dolore, Keplerus in tr. de Febre Epidemia Regiomontana p.32.* recenſet *Febrem epidemicam cum dolore ardente ſtomachi;* aliam talem hiſtoriam profert. *p.35. 36. conf. Sim. Pauli de febb. malign. Hugenius Lib. 5. Ballonius tom. 1. conſ. 57. Mercurialis tom. 3. fol. 4. ſeq. Renealmus obſ. 82. & 42. Mocha conſ. 38. & 108. Cardanus method. med. Sect. 4. conſ. 4. de phlegmone ventriculi, Fonſeca tom. 1. conſ. 53. Guarinonius conſ. 459. Panarolus Pentec. 1. obſ. 20. de ventriculo corroſo, ſicut ab igne:* ſic variæ *eroſiones* ventriculi *ardorem* conjunctum habent, *vid. Salmuth. Cent. 1. obſ. 9. 10. Rhodius Cent. 2. obſ. 53. &c.* interdum ardor ventriculi in *tertiana* febre, quando cum *glioſa* conſpirat, concurrit, qui tanto facilius affligit & augeſcit, quando remedia *concentrata*, ſpirituoſa, *acria* &c. ordinantur: præterea *extraordinarius* talis ardor ventriculi in quibusdam ſubjectis oritur, quando ſalia amara, *acria*, fixa, *difficulter ſolubilia* copioſe & *frequenter*

a *bilioſis*, *plethoricis* & *ſenſibilibus* ſubjectis aſſumuntur, quemadmodum tartarus vitriolatur, arcanum duplicatum &c. id hactenus aliquoties præſtiterunt: proinde ardens dolor *nimium vomitum* comitatus, huc ſpectant verba *Plateri*, quæ allegat *Bonetus* l. c. quando de ardentiſſimo ventriculi dolore ita porro aſſerit: *quod quoque fieri poſſe morbumque gravem & periculoſum cum vomitione continuo infeſtantem ventriculo perpetuo irritato naſci credibile eſt:* neque etiam in *præſenti* tractatione *quoslibet* ventriculi *dolores* acutos, morſicantes, punctorios, *ſpaſticos* &c. pro *genuino* thematis noſtri objecto & ſubjecto habemus, ſed potius *ſpecialem* & peculiarem affectum ventriculi, cum *ardore* eximio ſe prodentem, intelligimus: addimus denique *Plateri* verba, quæ profert, *Bonetus l. c. p. 341. multorum morborum ardens dolor eſt quoque ſymptoma, ut inflammationis ventriculi.*

§. III.

Nunc ad *Hiſtoriam* hujus affectus tradendam nos accingimus & primo loco nonnullas circumſtantias de *Subjectis* indicare lubet: inclinant propterea præcipue in hunc affectum homines de *calido* temperamento participantes, utpote *Sanguinei* & *Cholerici*, aut multam *bilem* & copioſum *ſanguinem* continentes, præcipue in quibus *bilis tenuis*, *fluida* & *acris*, nec valde viſcida eſt, nec non quorum *ſanguis ſubtilis*, floridus, fluidus & acris exiſtit; quamvis *ſpiſſior* ſanguis non *omnimode* exemptus ſit; quo referri meretur *illa* conditio, quando tales homines ejusmodi *Diæta* fruuntur, quæ *copioſam* bilem & *ubertatem* ſanguinis generat; interim in *Gravidis* aliquando *temperatior* corporis conſtitutio hoc affectu corripitur, ſeorſim vero notandum eſt, quod ſtatus *plethoricus multum* con-

tribua

tribuat ad hunc affectum *invitandum*, exacerbandum, ſuſtentandum & confirmandum: hinc in *nonnullis* ſubjectis advertenda eſt *peculiaris* proclivitas ad certas hæmorrhagias, ſive motu aut *molimine*, ſive *fluxu* aut actuali ſucceſſu eminens, velut & *hæmorrhoidales* & *uterinæ* menſtruæ evacuationes eſſe ſolent: deinde præſens affectus *facilius juniores*, quam provectiores corripit, in quibus prioribus *magis* & *facilius* bilis & ſanguis acrior ac copioſior generari ſolet; attamen non penitus exempla deſunt ſubjectorum, *ſenectute* oppreſſorum, quæ hoc affectu laboraverant, ſicut *Riedlinus in Itinere Medico p. 66.* *virum prope Septuagenarium*, hoc affectu correptum, commemorat: infantes tamen & pueri omnium *rariſſime* eundem experiuntur, in quibus *bilioſa* colluvies *citius* eliminatur, nec tam diu aſſervatur, coacervatur, aut intra ventriculum defertur, neque etiam *adeo facile* ſanguis *accumulatur*, nedum quidem tam facile, ut in *provectioribus*, moliminibus *excretoriis* aut motibus *eluctatoriis* afficiuntur: Porro hic affectus *facilius* & *frequentius* corripit homines, bona, *ſpirituoſa*, *aromatica*, *pingui*, *vinoſa* & largius *alimentoſa* diæta fruentes, quæ ad copioſam generationem *bilis*, *ſanguinis*, *alteriusve acrioris* & acidæ ſaburræ, nec non ad utriusque impetuoſam & *ominoſam* commotionem contribuit, utpote in quibus reſpectibus *principaliores* cauſæ, hunc affectum *provocantes*, conſiſtunt; licet æque quoad *hanc Diætæ* rationem & conſiderationem *interdum aliæ* qualitates occurrant, quemadmodum *Riedlinus Curat. Med. 243.* ſubjectum hac afflictione moleſtatum commemorat, quod *victum duriorem minusve adſuetum* uſurpaverat, qualis vero perinde pro ratione *temperamenti*, in individuo obvii, acrem ſaburram

in

in ventriculo generare poteſt & ſolet: Deinde hic affectus *utriusque ſexus* ſubjecta corripit, nec uni tantum familiaris exiſtit; ſiquidem cauſæ, ad hunc affectum diſponentes, in maſculis & fæminis generari ſolent; attamen etiam illa afflictio *Gravidis* non raro accidit, ſicut *Hœferus in loc. ſupr. cit.* id teſtatur, id quod *Riedlinus cur. med. 669.* & *Lin. Med. An. 2. Novembr. obſ. 28. p. 579.* caſu quodam practico confirmat: præter haſce circumſtantias referente *Varandæo de morbis ventriculi cap. 15.* & *Vido Vidio de curat. membran.* illa ſubjecta facilius hunc affectum ſuſcipiunt, quæ *conſuetarum* evacuationum *ordinariarum* & *extraordinariarum*, utpote *alvinæ*, *tranſpirationis inſenſibilis*, *ſudoris*, alioquin largioris, aut *ſanguinearum*, velut *uterinarum menſtruarum*, aut *hæmorrhoidalium* turbas incidunt; nec non æque crebrioribus *animi* & *corporis* commotionibus & exæſtuationibus dedita ſunt, inſuper in *diæta*, ordinem, ſelectum, *moderamen* & temperiem *non* obſervant, ſed ſæpius *ventriculum* & proceſſum *digeſtionis* alterant ac offendunt: non minus in quibusdam ſubjectis valde *ſedentaria* vita ſub *aliarum* cauſarum & circumſtantiarum *concurſu*, hunc affectum allicit; inde eſt, cur quidam authores medici (utpote *Platerus* & ex eodem *Bonetus loc. cit.*) inter cauſas, hunc affectum provocantes, referant, quando quidam homines ad menſam *compreſſis thorace* & *hypochondriis* ſedentes, ſcribenteſque, *hepar* ac *felleam* cyſtiden *fortius* premunt, indeque *largius* bilem exprimunt, u *tanta* copia ad inteſtinum *duodenum* & ex hoc intra *ventriculum* aliquando re- & confluat, eapropter etiam *ardor* *l* ventriculi excitetur; quæ antiqua opinio veritati minu conſona eſt, dum *ſedentarium* vitæ genus ob longe *alia* cauſam ad hunc affectum contribuit: interim in obſervati

ne practica ſæpe annotatur, quod *hypochondriaci* hac morboſa moleſtia affligi ſoleant: quæ ſingulæ animadverſiones, in *Subjectis* obviæ, hactenus recenſitæ, non modo viam ad reliquam *hiſtoricam* hujus affectus relationem, ſed & ad *cauſalem* ejus explicationem, parant.

§. IV.

Quod vero *Signa Diagnoſtica*, hunc affectum denotantia, concernit, tunc ex *fundo ventriculi* adſcendit per *initia afflatus æſtuoſus* in *ſtomachum*, ſive *ſuperius* aut *ſiniſtrum* orificium; qui æſtus cito *augeſcit* & in *ardorem* tranſit, ſub ſenſatione quaſi *flamma* undulans ſtomachum afflaret, ut ardor inde proveniens *altius* in *œſophagum* adſcendat, adeo ut exhalatio ex gula *arbitrarie* ſuſcepta *fauces* calefaciat & *aliis æſtuoſa* deprehendatur: hæc moleſtia conjuncta eſt cum *anguſtia præcordiali*, interdum cum *lipothymica* plane anxietate, *tenſione* ſemi ſpaſtica ventriculi, conatu urgentis *flatus* in ventriculo, qui tamen *liberum* ſucceſſum & exitum *haud* invenit; urget etiam moleſta *ſiccitas* in faucibus & œſophago, nec non conjuncta *ſitis*; affligit quandoque *phlogoſis*, *dolor capitis*, *vertiginoſa* perturbatio; conſpicua interdum *congeſtio* ſanguinis intra *caput*, *venarum capitis* ſuperficialium *inflatio*, *æſtus* in capite, *genarum* auctior *calor* & *rubor*, anxia *reſpiratio*, *oppreſſio* pectoris aut rectius *diaphragmatis*, valde moleſta *aggravatio* ventriculi, indeque proveniens major *anguſtia præcordiorum*, *nauſea*, *conatus vomendi*, difficilis & imperfectus ſucceſſus, aut plane valde *dolorificus*, *vomitus*, *extremorum conſtrictio* & *horridula* ſenſatio, *amaricans* quandoque ſapor in *ore*, *alvi* retentio, *hypochondriorum* ſtrictura & *tenſio*; nonnunquam *anxius* erumpit *ſudor*, tor-

pet *vigor animi* & *corporis*, *pulſus* eſt *oppreſſus*, *durus*, tardus, *inæqualis*; deficit *requies animi* & *ſenſuum*, adeoque deeſt, aut *turbulentus* eſt *ſomnus*; *difficilis* interea eſt *concoctio* & reliquæ functiones *ſe-* & *excretoriæ* inordinatius, impeditius & *minus ſufficienter* ac convenienter procedunt: inſultant crebriores *ructus*, qui ſemper ardorem præſentem quaſi accendunt & inflammant, attamen in exitu ventriculi ad, aut intra ſtomachum *præcluduntur*, eo ipſo vero totam hanc afflictionem *acerbiorem* reddunt, angoremque adaugent: quo magis hic affectus *vomitum* urget, eo magis *calida ſaliva* copioſe intra os confluit: nonnunquam pinguis & adverſus *vapor* & *ſapor* ex ventriculo adſcendit, qui tanto magis *nauſeam* & *vomendi conatum*, provocat: in recenſendis ejusmodi ſignis authores paſſim valde ſuccincti ſunt; interim *Joel in l. c.* dicit: *ſigna ferventis ſtomachi ex querela patientis dignoſci poſſunt: ſingulatim autem in bilioſo fervore, ventriculus acri moleſtatur mordicatione: in ſeroſa vero pituita præcedit anxietas ex nauſea & tenuis ex ſtomacho per os inſtar aquæ profluit humor: Joubertus in Medic. Pract. Lib. 1. c. 5.* commemorat, quod hunc affectum comitetur *calor & ſitis, aliquando animi deliquium anorexia, præſ. ab eſu acrium eduliorum, vel aromatum, au bile in ventriculum confluente:* hic ardor interdum ita *angit* & affligit, ut *animi deliquia* immineant: varia ſubjecta *ſubito* corripit & quidem nonnunquam mox *poſt paſtum*, qui ferme *tam diu* perennat, donec præſens *concoctio* utplurimum *peracta* eſt, aliquibus mox accidit, quando vel *levem* cauſam ex *diæta* ſuppeditarunt: quam ob rem *Lentilius l. c. p. 443.* dicit: *hic affectus adeo moleſtus eſt*, *aliquibus non integrum ſit, vel unum vini caliculum epota*

ni hoc ardore torqueri velint: in quibusdam hic affectus cito *eximio* affligit gradu, in aliis pedetentim augeſcit: quosdam homines per *unam alteramve* angit horam, in aliis vero *citius* decurrit: quosdam *ſæpe* corripit & vexat, nonnullos per *intervalla* invadit: quædam ſubjecta, in quibus *ſanguinis moleſta* abundantia, ac molimina *hæmorrhagica* concurrunt, *indiſcreto* corripit tempore & ſimul in abdomine ac *hypochondriorum* regione alias moleſtias *tenſorias*, oppletorias & *congeſtorias* infert: in nonnullis ſubjectis coincidit *ſpaſtica alvi retentio*; in aliis vero, quando hujus ardoris afflictio aliquantulum remittit, alvus *laxiori* & *copioſiori* ſucceſſu aperitur: in aliquibus adeo *gravis* hic evadit affectus, ut non in ventriculo permaneat, ſed *caput* ſimul in *conſenſum* ducat, inque eodem *dolores* ac moleſtas perturbationes cauſetur, (quemadmodum alias *ventriculi* affectus *caput* in conſenſum ducere ſolent:) id quod caſu quodam *Riedlinus in Itinere Medico l. c.* teſtatur: præter hæc ſigna, notandum etiam eſt, quod *hypochondriaci* quidam & nonnullæ *hyſtericæ* ſingularem *propenſionem* in hunc affectum habeant, inque illum partim ex vitio *Diætæ*, partim ob affectum *animi*, partim ob *diuturniorem alvi* retentionem incidant: Et hæc *varia notatuque* digna ſunt ſigna, quæ in *Diagnoſtica* præſentis affectus tractatione occurrunt, atque ad *Hiſtoricam* illius tractationem pertinent.

§. V.

Ordinis ratio jam poſtulat, ut poſt Diagnoſticam hujus affectus explicationem, nunc *Prognoſticam* illius tractationem ſuſcipiamus: in hac itaque disquiſitione *plurimi* Medici conſentiunt, quod affectus hic *brevi* temporis in-

 ter-

tervallo tranſiens, in *leniori* gradu conſiſtens, nec nimis *frequenter* recurrens, *periculoſus haud* ſit, *ſemper* vero *moleſtus* exiſtat: quam ob rem in *oppoſita* qualitate afflictio hæc ſemper *gravis* & *ominoſa* eſt: præcipue vero in ſubjectis *magno* gradu de *calido* temperamento participantibus, *magna bilis* copia præditis, in *diæta admodum* lauta & *ſpirituoſa* conſtitutis, ſanguine *eminenter ſuperfluo* inſtructis, *frequentioribus* ſanguinis *commotionibus* obnoxiis, *acerbioribus* moliminibus *hæmorrhagicis* expoſitis, *ſuppreſſionibus*, aut *turbatis* ſucceſſibus *ſalutarium* Hæmorrhagiarum laborantibus, aut per *mala* & *perverſa* tentamina *medicamentoſa* ſub *prædictis* circumſtantiis tractatis: præterea attentam conſiderationem meretur illa circumſtantia, ſi hic affectus, cum *certis hæmorrhagiis*, vel *ſuppreſſis*, vel aliter *turbatis*, cohæret, utpote cum *Menſibus* & *Hæmorrhoidibus* tanto magis vero *intricatæ* qualitatis hic affectus eſt, quando cum *motibus* hæmorrhagicis *exacta periodo* recurrit & affligit, qualem caſum ad minimum *doloris ventriculi periodici* poſt dolores *hæmorrhoidales* allegat *Benedictus Sylvaticus Conſil. 74.* quo *ſæpius* hic affectus recurrit; quo *diutius* qualibet invaſione continuat, quo *citius leves* cauſas ſequitur, quo *major* gradu eſt, quo *latius* ſe diffundit, & magnam *œſophagi* regionem invadit, quo magis una *caput* infeſtat & in *conſenſum* ducit, eo *acerbior*, *moleſtior* & ominoſior eſt; quo magis aliarum *ſalutarium* adſuetarum *evacuationum* ſive *alvi*, ſive *ſanguinis* ſucceſſum *retinet*, impedit & ſufflaminat, eo *magis ſuſpectus* exiſtit: quando *cauſa* hujus affectus non eſt *in ventriculo*, *intricatior* & ominoſior illius ſtatus eſſe deprehenditur: unde *Ettmüllerus* in *Praxi*, ubi de hoc affectu tractat, dicit: *ſi ſine cauſa*

mani-

manifeſta affligit, morbum chronicum utplurimum conſtituit: Sennertus l.c. in *Prognoſi* ait: *malum ipſum per ſe quidem non periculoſum eſt, moleſtum tamen; cauſa vero a qua pendet non negligenda:* allegamus in hac *Prognoſtica* præſentis affectus explicatione *Riedlini* verba in *Lin. Med. An. 6. Menſ. Febr. obſ. 14. p. 176. nunquam ardor ventriculi, præcipue tam diu inſtans, parvi habendus erit; quando enim ſimul omnium medicamentorum vires eludit, non poteſt non paulatim ipſas partes aggredi, ſiquidem ut poſtmodum aut officio ſuo præeſſe ulterius non poſſint, aut & brevi adeo corrumpantur, ut vitium paulatim aliis quoque partibus communicatum, tandem exitium adferat:* quo magis hic affectus poſt prægreſſas *vehementes animi* & *corporis* commotiones, ut & *largas ſpirituoſorum* ingeſtiones *repente*, ingruit & *valde* ac celeriter *augeſcit*, eo facilius in *periculoſum* ſtatum ipſe delabitur: quando cum hoc affectu aut *præter naturalis horror*, aut *febrilis* motus, aliaque ingens *ſanguinis inturgeſcentia* concurrit, majus tunc *periculum* minatur: quando hic affectus cum *aliis morboſis* afflictionibus *complicatus* eſt, velut cum *hectica, malo hypochondriaco*, affectu *hyſterico*, anomaliis *hæmorrhoidalibus*, *nephritide*, *podagra, colica* &c. ut & quando in talibus affectibus hic ardor *ſubito* & *inopinato* invadit, tunc *mali* ominis eſt: ſiquidem *Riedlinus loc. ult. cit.* caſum commemorat, ubi hic affectus *duobus ante mortem* diebus *hectica* laborantem virginem occupavit: quando *plures* cauſæ ad hunc affectum contribuunt, tunc ipſe ſtatus eo *acerbior* eſt, velut ſi præter commotionem & *exæſtuationem* corporis, *vinum* ingeſtum talem affectum concitant; talem caſum refert *Riedlinus cur. med. 278.* ubi inter alia hiſce verbis obſer-

vationem illam recenſet: *auri fabri cujusdam uxor, cum in nuptiis cujusdam amici hilarem admodum ſe præbuiſſet & imprimis per bene longum temporis ſpatium choreas duxiſſet, ſitibunda inde vini Tirolinenſis dulcis hauſtum ſumſit & brevi poſt domum rediit, ibique tanto ventriculi ardore correpta fuit, ut non ſolum integram noctem inſomnem duxerit, verum & a veneno exhibito, quin faſcino ſibi metuerit*: quo tenacius *ante*, *ſub* & *poſt* hujus affectus cruciatum *alvus adſtricta* & retenta eſt, eo acerbior ipſe evadit, eoque magis ad *frequentiorem recurſum* diſponitur: quando per *Animi vehementes* affectus, *Diætæ eximia* vitia & mala *Medicamina exacerbatur* hic affectus, tunc in periculoſam *inflammationem* inclinat: quando cum eodem fortiores & contumaciores *ſpasmi* concurrunt, tunc *gravior* & ominoſior ſtatus ipſius exiſtit: ardorem ventriculi cum *Nephritide* conjunctum, aut huic ſupervenientem ſatis *periculoſum*, imo ſub connubio *convulſionum fatalem* deſcripſit *Riedlinus Lin. Med. An. 3. Menſ. Januar. obſ. 16. p. 36. ſeq.* quam obſervationem hiſce verbis author obſignat: *plura ut adducam* (videl. exempla) *licet facile poſſem, vix tamen opus eſſe videtur, cum ex hiſce ſufficienter pateat, quam ſuſpectus eſſe debeat Medico ardor ventriculi in Nephriticis*: quando prægreſſos *graves alios* morbos ardor hic ſequitur, *haud bonum* ſignum eſt, attamen aliquando idem ardor, ſi *lenior* & *brevior* fuerit, alios *connexos* affectus avertit, ut humorum translationes minus *alias* corporis *partes* & *regiones* afficiant: pro illuſtranda hac notatu digna obſervatione iterum allegamus verba *Riedlini Lin. Medic. An. 4. Menſ. Auguſti obſ. 17. p. 677. ſeq. patiens hic ob hanc cauſam de hoc ardore minus conqueritur, quia hactenus jam*

aliquan-

aliquoties notavit, quod ſibi ſit ſignum ſanitatis, quotiescunque enim is ceſſat in morbum incidere ſolet; ſic cum ante plures annos abſceſſu quodam pedis, per aliquot hebdomadas laboraſſet, per totum illud temporis ſpatium ab ardore ventriculi immunis vixit: Et hæ ſingulæ obſervationes, obſervatu admodum dignæ, quoad *Prognoſticam* hujus affectus tractationem ſufficere & ſatisfacere poſſunt.

§. VI.

Poſt *Hiſtoricam* præſentis affectus deſcriptionem, nunc *Pathalogicam* ſ. *Cauſalem* illius explicationem annectimus, & quidem quoad *formalem* ejus conſiderationem indicamus, quod ipſe conſiſtat, in *congeſtione* i. e. *copioſiori* collectione & *fortiori* commotione ſanguinis ad & per *ſiniſtram* ventriculi regionem, quæ alias fibris *craſſioribus* & ſubſtantia *denſiori* ac robuſtiori prædita, nec non numeroſa nervorum congerie ex *œſophago internam* & *externam* ventriculi regionem, partim *ſuperiorem* ejus partem, partim *fundum* ejus perreptante ſurculis copioſis, alibi plexum fere reticularem conſtituentibus ventriculum inſtruente, qualificata in *œſophagum* tranſeunte, vel ab humoribus, materiis, & vaporibus modo *acribus*, modo aliter adverſe *ſalſis*, modo *inſolitis*, *valde* aut *perverſe* fermentantibus, admodum *flatulentis*, aut *alio* modo ventriculum moleſtantibus provocata, vel a *moleſta* ſanguinis ubertate & prægeſſis *ſalutaribus* hæmorrhagiis *perturbatis*, aut plane *ſuppreſſis* excitata, ad quodvis *moleſtum*, *adverſum* & *præjudicioſum* objectum *avertendum* deſtinata & directa: hujus Congeſtionis index eſt *angor* & *ardor* in ventriculo, ſiquidem alias *congeſtiones* talem moleſtum *æſtum* & *ardorem* conjunctum & pediſſequum habent: proinde

inde etiam ille ardor excitatur a *materia* in ventriculo hærente *acri*, *bilioſa*, roſiva, concentrate *ſalſa*, ad *nerveam* tunicam penetrante, hancque *irritante*, quemadmodum alia ſubjecta *corroſiva* cauſtica, ac acria partes *ſenſibiles* membranoſas, cutaneas, tunicaceas afficientia, *ſimilem* in hiſce *ardentem* dolorem cauſari ſolent: quæcunque porro ſubjecta *acria* ſunt, ut *aromatica*, præc. *piperata*, ſi ventriculum *valde ſenſibilem* attingunt, aut ſubjecta in *congeſtorias* commotiones *valde* proclivia offendunt, tunc perinde in iisdem hic moleſtus ardor ventriculum affligit; proinde ardor hic generatur, quando ſanguis *majori* copia in tunica ventriculi, *carneis* fibris prædita, coacervatur, intra easdem fibras *fortiori* motus gradu tranſprimitur & hoc modo magis *incaleſcit*, imo *exardeſcit*, ſicut communiter *auctior* & *potentior* ſanguinis motus intra *ſolidas* partes, auctiorem *calorem* provocat, qui pro ratione majoris *ſenſibilitatis perſonalis*, aut partis magis *nervoſæ*, qualis *ventriculus*, hujusque regio *ſiniſtri* & *dextri* lateris, exiſtit, major evadit, facile in ardorem augeſcit; hinc numeroſiſſimi nervuli, *ſiniſtram* hanc ventriculi regionem intrantes ad illius ardoris *moleſtiorem* ſenſationem *inſtrumentali* cauſandi modo *magis* contribuunt; & quoniam hanc regionem ventriculi, utpote *craſſiorem* & in *naturali* ſtatu *plus ſanguinis* recipientem & continentem major & magis *conſueta* occupatio, quoad *ſanguinis motum* proſequitur, ita *reliquæ* cauſæ, qualitercunque *congeſtionem* provocantes, in *eadem* regione & *connexo œſophago* hanc moleſtiam & theatrum velut afflictionis dolorificæ conſtituere adjuvant: ob id *cauſæ* hunc ardorem excitantes ſunt *in cavitate* ventriculi, aliquando *extra illam* comprehenſæ: quodſi etiam

am ab *acri* quadam materia, *in ventriculo* fluctuante talis ardor provocatus fuerit, tunc nihilominus ſanguinis congeſtio ad prædictam ventriculi regionem tendens, illum dolorem *auget* & confirmat: quando vero materia *bilioſa*, acris, aut concentrata acida, *ſalſa* in culpa eſt, tunc ſub ardente effumatione e ventriculo ſimul *exhalatio bilioſa*, aut ſalſa concurrit & *cardialgica* quædam afflictio, peculiaris *nauſea*, conatus *vomendi* & *capitis moleſtia*, aut plane ſuperveniens *vomitus* flowbilioſus, acris, acidus coincidunt: ejusmodi motus *congeſtorius* vero in parte alias *ſenſibili*, varias conſentientes afflictiones in ſiniſtro hypochondrio, partibusque *vicinis*, præcipue in *diaphragmate* cauſatur, utpote *anguſtiam* præcordialem, *anheloſam* & operoſam reſpirationem, cordis aliqualem oppreſſionem, ac conjunctam *ſanguinis* preſſionem & *translationem* intra *caput*, cum qua *variæ* moleſtiarum, *caput* occupantium & affligentium, ſpecies concurrunt: præterea etiam evenit, ut quo magis hi motus congeſtorii *ſuperiores* corporis regiones detinent, atque *contumacius* afficiunt, eo certius & facilius *inferiores* & *exteriores* conſtringantur, ut nunc *adſtrictio* alvi, alibi *obrigeſcentia* & *exhorreſcentia extremorum* oriatur, indeque ob *pertinaciorem* & *copioſiorem* translationem ſanguinis in *hypochondria* & *altiores* corporis regiones, totus præſentis affectus ſtatus *gravior* & acerbior reddatur.

§. VII.

Poſteaquam *formalem* hujus affectus cauſam indicavimus, illuſtravimus & confirmavimus, nunc *alias* ſignificabimus cauſas, quæ partim *materiales*, partim *impulſivæ* exiſtunt: vulgo quidem *acris* accuſatur *bilis*, quæ *cor-*

 roden-

rodente ſuo effectu, *nervoſam* ventriculi tunicam *ſtimulat*, adeoque *dolorificum* talem ardorem provocat; ſed dubium occurrit, cur *ſuſpecta* talis bilis *hunc locum* & *hanc regionem* ventriculi tantum offendat, cur etiam in *aliis* caſibus, ubi *ſimilis* bilis adeſt, ſimilis tamen *effectus* deſit, ut videlicet *non idem* affectus affligat: *affirmamus* quidem quod ejusmodi *inimica* & intemperata bilis, aut *alia* ſalſa acida, *acris* materia *talem* affectum cauſari & provocare queat, attamen ſub *peculiari aliarum* cauſarum *concurſu*, *nexu* & ordine; id quod etiam judicandum eſt, de prava ciborum *fermentatione*, aut ſicut alii nominare volunt acidi & alcali *efferveſcentia*; ubi iterum admittimus, quod ingeſta *acida*, *pinguia*, *dulcia*, mellita, Saccharata, lacticinia, vel hac *ſua miſcela*, vel cum *alia cruditate* & colluvie *bilioſa* aut *acida* in ventriculo hærente, *perverſum* gradum & motum ſubactionis, commixtionis & *ita dictæ* fermentationis ſubeant, inſuper vero humores & *ſaburram acrem* & *inique* afficientem ac *ſtimulantem* generent, ut non modo copioſi *nervuli* ventriculi inde moleſtentur, ſed & *tam diu* ejusmodi offenſio continuet, quamdiu hic pravus & perverſus motus (juxta *Vieuſſenium in diſp. de natura & proprietatibus fermenti Stomachalis*) fermentativus, (aut juxta *Hecquetum in tr. cui tit. Digeſtio alimentorum ubi demonſtratur eam non mediante fermento, ſed per triturationem vel conquaſſationem fieri*) conquaſſatorius, vel *commixtionis* perennat, & quamdiu *ſaburra* talis cum ſua *exhalatione* acida & vellicante in ventriculo fluctuat & *in motu* eſt quod utplurimum per terminum *concoctionis* durat; huc porro ſpectant *aliæ* ſubſtantiæ ingeſtæ, motum *fermentativum* in ventriculo excitantes, exacerbantes & ſuſten-

tante

tantes velut *vinoſæ*, ſpirituoſæ, aromaticæ, nec non *flatulentiam* in ventriculo cauſantes, uti ſunt cibi ex *leguminoſis* ſubſtantiis, aliisque *craſſioribus* alimentis conſtantes, fructus varii horarii, *piſa* valde *piperata*, aut cum *butyro*, *aceto* &c. parata, quibus annumeramus eſculenta maſſam cibariam *magis ſalſam* & *acrem* reddentia, ut ſunt *aromata* & inter hæc impr. *piper*, cibi valde *ſaliti*, *cepæ*, *allium*, *ſynapi*, *armoracia*, *raphanus* & ſimilia; quo etiam *dulcia* & *ſimul acida* ſpectant: *vid. Riedlinus Cur. med. 669. de Ard. ventr. ab uvis comeſtis;* augent hunc numerum alimenta & potulenta *magnam* fermentativam commotionem in ventriculo provocantia, ut ſunt cereviſiæ recentes, *fæculentæ*, cibi *pingues* (*vid. Riedlinus Lin. Med. An. 2. Novembr. obſ. 28. p. 578. de ard. ventr. a pinguibus*) butyro frixati, lacticinia cum copioſo bile valde fermentantia, cibi *acidos* & *dulces* ſapores *conjunctos* proferentes, alii cibi *acidis* & *pinguibus* ſubſtantiis in *una miſcela* præditi &c. quæ præcipuæ ex *Diætæ intemperie* provenientes cauſæ *materiales* ſunt, quæ hunc affectum provocant: Et quemadmodum quædam ſubjecta *acria extrinſecus* ad *cutem* applicata, *rubefacientem*, caleſacientem & arrodentem, inſuper etiam *ardentem* qualitatem habent, ita in *ſenſibiliori* ventriculo tanto magis id ipſum excitare & cauſari ſolent: hoc vero tanto *certius* & *facilius* contingit, in ſubjectis, in quibus non modo *generica* major *ſenſibilitas*, ſed & ſeorſim in *ventriculo* intenſior & *auctior* talis *ſenſibilis* qualitas occurrit; quemadmodum in hac annotatione haud promiſcue *teneritudinem materialem ventriculi* accuſare debemus, ſiquidem in obſervatione medica talia ſubjecta occurrunt, quæ *tenero*, gracilique corpore inſtructa ſunt, *ſimilesque*, quas

 modo

modo allegavimus cauſas ex *Diætæ* foro experiuntur, attamen ab *hoc* affectu *immunia* vivunt, & viciſſim *alia* deprehenduntur individua, *denſo*, firmo, procero *craſſoque* corpore conſpicua, quorum nervi & reliquæ fibræ vulgo *robuſtiores* dicuntur, in quibus *idem* affectus *frequentius* ingruit & recurrit: quare *principalis* cauſa non in *materiali* tali reſpectu hæret, ſed, ut modo indicavimus, multum *major* illa *ſenſibilitas*, quæ non affectio *corporis*, quoad *formalem* & palmarium ſuum reſpectum eſt (ſicut fuſius in *Diſp. Dn. D. Præſidis de Senſibilitate Perſonali* demonſtratum proſtat) eo contribuit: quam ob rem hactenus nominatæ cauſæ, utpote adhuc quadantenus *remotæ* utplurimum *impulſivæ* ſunt, quarum actionem & efficaciam in ventriculum excipit fortior & *immoderatior congeſtio* & commotio ſanguinis ad & per ventriculum, præc. vero, ut modo indicavimus, in *illum* locum, ubi major *irritantis*, impellentis & *affligentis* cauſæ *quantitas* hæret, videlicet in *fundo* partis, ut & ubi *largior* & *plenior ſanguinis* aditus, tranſitus & comeatus obtingit: teſtimonio & exemplo parallelo *rubefacientium* remediorum ad partem, quo *ſanguinis* aditus patet, nec non *ſolemnis* aut ex aliis cauſis *liberalior* largior & *fortior* eſt affluxus, applicatorum: ſi itaque in *cute* quidam homines *ſenſibiliores* ſunt, tunc remedia rubefacientia, quamvis *mitiora* fuerint, eo appoſita, *magnam* congeſtionem ſanguinis ad *eundem* locum provocant, quæ facile *eximium ardorem*, imo plane *inflammatorium* motum pediſſequum habet: unde conſtat, quomodo ob ejusmodi magnam & diſtinctam *ſenſibilitatem*, imo *individualem conſuetudinem* & *hæreditariam* plane diſpoſitionem, *levis* etiam *extranea* offenſio

ſenſio, *graves* alterationes & in ſubſtrata disquiſitione *magnas* congeſtiones convocare queat.

§. VIII.

Quemadmodum itaque congeſtionis *objectum Sanguis* eſt, ita hujus in præſenti affectu *magna* habenda eſt ratio, qui vel *quantitate nimia* & *moleſta*, vel *qualitate* præc. valde *ſubtili* peccans *generatim* facile motui *congeſtorio* ſubjacet, quem motum diverſæ cauſæ excitare ſolent; ſi itaque quædam ex prædictis, ad *Diætam* ſpectantes, cauſæ hanc congeſtionem *ad ventriculum* invitarunt, facile tunc *aliæ* cauſæ *eandem* congeſtionem *revocare* poſſunt & ſolent: quam ob rem *iracundia*, ob *complicatam* rationem, tam *copioſæ* effuſionis *bilis*, quam *fortioris* commotionis *ſanguinis*, hanc congeſtionem ad *ventriculum* alias transeuntem, revocat: non minus ſenſibilis *extremorum refrigeratio*, non modo *reſtrictionem* ſanguinis ad *interiores* & *ſuperiores* regiones & partes cauſatur, ſed & hanc congeſtionem ad *ventriculum*, quo antehac collimavit, nunc *novo aditu* & recurſu excitat: porro diuturna *alvi adſtrictio* liberam ſanguinis diſtributionem per *inferiorem*, præcipue *abdominis* regionem valde *impediens*, ejus repreſſionem tam in *hypochondriorum*, quam *altiorem* adhuc regionem cauſatur, quæ *generalem* partim propenſionem ad motum *congeſtorium* ſubeundum, partim *ſpecialem* illius tranſitum ad ventriculum nunc excitat & impellit: *Magni* vero momenti eſt, ſi in quibusdam ſubjectis antehac *moleſta* ſanguinis *plenitudo*, aut per *Hæmorrhoides*, aut per *Menſes* largo & prompto fluxu cum *euphoria* imminuta fuit; quæ Hæmorrhagiarum ſpecies poſthac aut *ſuppreſſæ*, aut *retentæ* ulteriorem *moleſtiam* faceſſunt, adeo-

que ſanguis denuo *coacervatus* ac per varias cauſas, *animi pathematum*, *Diætæ* & *Regiminis* valde *commotus*, ſicut aliquando in *ſuperiores* regiones, utpote ad *caput* & *pectus*, ita nunc data *alia* occaſione, præcipue ex *Diæta* proveniente, ad *ventriculum* congeritur & aliquandiu illico nonnunquam ſub *molimine* & ſcopo *moleſtum* & *commotum* hunc *ſuperfluum* ſanguinem copia aliqua *expellendi* continuatur, quemadmodum ex *vomitus cruenti* annotatione teſtimonium conſtat, quomodo interdum Hæmorrhoides *oppreſſæ* & Menſes *retenti* per *ventriculum* eluctentur: Et *hæc* etiam *cauſa* eſt cur ſatis ſæpe *Gravidæ* hoc affectu moleſtentur, quoniam non paucæ illarum ob *retentionem Menſium*, ob *parcam* conſumtionem ſucci *alimentoſi* a *minori* fœtu, ob *victum* aliquando *pleniorem*, ob *ſedentariam* vitam, ob conſuetudinem *plenioris ſanguificationis*, ob proclivitatem ad *faciliorem* & *largiorem Menſtruum* fluxum, &c. non modo *copioſum* ſanguinem colligunt, ſed & illum *moleſtius* tolerant: hinc tales *congeſtiones* ſanguinis ventriculum invadunt, quo interdum per varia *ingeſta* invitantur, quemadmodum Gravidæ utplurimum in *Diæta* varia committunt, quæ ventriculum *offendunt* & afficiunt: inde etiam eſt, cur *prædictarum* qualitatum gravidæ non modo *facile abortum* patiantur, ſed & per congruas & opportunas *artificiales ſanguinis ſubtractiones* ab *abortu* & hoc *affectu* præſerventur ac liberentur; fabulam interim olet, quod in gravidis, major & copioſior proventus capillorum in fœtu hujus affectus cauſa exiſtat: Quodſi itaque in talibus ſubjectis, *utriusque* ſexus, quorum hoc loco mentionem fecimus, vel levis offenſa & *occaſio* in ventriculo ſubminiſtretur, tunc facile impetus illius *congeſtorii* motus

qui

qui alias circa ſanguinem *moleſtum* verſatur, hujusque *vicariam evacuationem* ex *alio*, licet *inſolito* loco proſequitur, *ventriculum* corripit, inque eodem hujus affectus tragœdiam ludit: id quod contingit ſi talia ſubjecta aromatica, vinoſa, ſpirituoſa &c. ingerunt, unde non modo ventriculus *ſenſibilis*, ſed & eadem vice ſanguis *orgaſtica* commotione afficitur, ut hac ratione *concitatus* conatus *hæmorrhagicus*, ſive ſanguinem *moleſtum imminutorius* ad *ventriculum* tranſeat: proinde vero aliquando accidit, ut hæc congeſtio ſanguinis *ſuperflui* & moleſti citra *irritamentum* in ventriculo oblatum, ex *alia* licet cauſa excitata, *eundem* tamen ventriculum occupet ac inſultet: Prædidictus *Hecquetus in tr. de la digeſtion & des Maladies de l'eſtomac Part. II. c. 7.* hunc *ardorem* ventriculi ab *alio* ſanguinis motu derivat, cujus verba proferunt *A. E. L. An. 1714. Menſ. April. p. 182. ardor ventriculi oritur ex continuo ejus motu; ſanguis enim toties conquaſſatus inter membranas ejus, quæ ſe plicant & explicant, quæ abbreviantur & allongantur, quæ conſtringuntur & dilatantur continuo facillimam concipit diſpoſitionem ad inflammationem, imprimis in illis ſubjectis, quæ condimentis & ſpirituoſis fruuntur liquoribus*; cui opinioni vero *minus* ſubſcribimus: Quando porro homines *plethorici*, aut de *ſubtili* ſanguine præditi poſt ingeſta *ſpirituoſa*, intenſioribus *commotionibus* corporis *ſanguinem* valde *exæſtuant*, tunc ſub concurſu nonnullarum *aliarum* prædictarum cauſarum, præcipue ſi in *imminutiones* & evacuationes *ſanguinis* vel *ſpontaneas*, vel *artificiales* inclinant, hunc affectum facile experiuntur: *vid. Riedlinus cur. med. 248. de Ardore ventriculi chorea ſuſcitato*, quam obſerv. ſupra etiam allegavimus: Ex quibus ſingulis

gulis *cauſalibus* annotationibus, ſub *juſta interpretatione* & conciliatione reſpectuum cauſalium concludimus, quod non raro hic affectus *anomalis*, aut exorbitantibus *moliminibus hæmorrhagicis* adſcribi mereatur, qui per diverſas *occaſiones* & cauſas *remotiores* æque ac *alia* ſpecimina *moliminum hæmorrhagicorum* excitari poteſt, ut ſæpiſſime *bilis corroſiva*, effervefcentia ſalium in ventriculo, pravum ventriculi fermentum &c. vel *nulla*, vel *minus principalis* ſit cauſa, ſed ordo cauſarum hactenus indicatus & demonſtratus *veriorem* ſenſum Pathologicum complectatur ac commendet: e qua *Pathologica* hujus affectus explicatione, ad minimum *fundamentali*, reliquæ *ſpecialiores* obſervationes, in *præcedentibus* allegatæ, demonſtrari & illuſtrari debent & poſſunt.

§. IX.

Ad *Practicam* hujus affectus explicationem nunc accedimus & prius *cautelas* quasdam *therapeuticas* commendare placet; abſtinendum itaque eſt a promiſcua ordinatione *Vomitoriorum*, quæ, licet ſaburram ventriculi evacuent, facile tamen *congeſtionem* humorum ad ventriculum *impetuoſe* excitant & *acerbiorem* reddunt: tanto minus *fortiora* vomitoria ordinanda, neque etiam alia, quamvis *leniora* fuerint, ſi *peculiares* circumſtantiæ *obſiſtant*, inter quas impr. *ſuſpectum* ſtatum *Plethoricum* nominamus: evitentur porro *potentiora purgantia*, quæ non modo *una ventriculum* valde afficiunt, ſed & *humores nimium* commovent & *vehementes* congeſtiones ad *inteſtina* & *ventriculum* cauſantur, *conf. Riedlinus Lin. med. An. 1. Menſ. Septembr. obſ. 29. p. 310. de ardore ventriculi a purgante*: cujus verba ſunt: *ardor ventriculi uti varias agnoſcit*

cauſas

cauſas, ſic interdum etiam poſt purgantia inprimis fortiora oriri & haud parum moleſtiæ creare ſolet: nocent vero etiam *negligentiores* primarum viarum *abſterſiones*, aut earum majores *inquinationes*, vel *alvinæ* excretionis *retentiones* & *adſtrictiones:* officit pariter *negligentior* conſideratio & tractatio ſtatus *Plethorici*, aut *confuſa* & *inſufficiens* illius imminutio, vel potius major ejus *confirmatio* & *accumulatio:* nocent remedia *ſanguinem valde* commoventia, ſic dicta *calefacientia, volatilia, acria, concentrata, reſinoſa* balſamica, oleoſa deſtillata, *ſalina acria*, concentrata aut *auſtera* acida, ut & valde *incraſſantia, ſuſpecte refrigerantia, adſtringentia, prodiga* terrea, *craſſe abſorbentia*, valde *fermentantia* &c. abſit *incongruus* & *intempeſtivus* uſus *Saccharatorum*, mellitorum, *lacticiniorum*, quando præcipue ventriculus copioſa ſaburra *bilioſa* & *acida* oneratus eſt, quippe quæ a *talibus* ſubjectis perquam *commovetur* & *depravatur:* eximie nocet *indiſcretus* & magis *empiricus* diverſorum remediorum uſus ad Sodam commendari & circumferri ſolitorum, præcipue *bili* dicatorum, aut ejus *intemperiem corrigentium*, quando bilioſa talis ſaburra *deeſt;* hinc remedia *talia* ventriculum magis *offendunt* & *onerant;* idem etiam judicandum eſt de *acidis*, quæ ex *falſa* traditione, quod *bilis* primario *alcalinæ* eſſentiæ ſit, ad *correctionem* illius commendantur, ubi adhuc *alter error* occurrit, quaſi hic affectus a perverſa *effervescentia* acidi & alcali dependeat, cui *tertius* nævus accedit, ac ſi hic affectus *tantum* a *bilioſa* acri ſaburra proveniat, hinc *acidis* in cura hujus afflictionis *miræ* aliquando virtutes adſcribuntur, cum tamen acida ob *aliam* rationem interdum in hoc morbo *opem* afferant: & quamvis *Crocum orientalem* præter *Hertodt in Crocol. loc. cit. p.*

 155.

155. varii alii medici admodum ad hunc affectum commendent, ipſe tamen valde *circumſpecte*, quia *inſigniter* ſanguinem calefacit, adhiberi debet: hinc in *A. N. C. Dec. 2. An. 4. obſ. 67.* caſus allegatur de *ardore ventriculi a croco externe adhibito:* evitentur *eſſentiæ ſpirituoſæ*, ut & *Elix. P. P.* qualia remedia præſentem ardorem magis augent: removeantur remedia *Saturnina* & *mercurialia:* cavendum etiam eſt, ne *bilioſa* ſaburra, ſi *cauſa* hujus mali eſt, *inſufficienter* aut inconvenienter moveatur, unde facilius eadem *exacerbatur*, hinc ſæpe citatus *Riedlinus cur. med. 669.* in illo caſu, quo *ardorem ventriculi infuſo thee ſuſcitatum* recenſet, ita judicat: *miratus fui, cum infuſum Thee ardorem ventriculi potius inhibere, quam excitare crediderim, at re propius conſiderata, quia non ita multum hujus infuſi bibit, hinc quidem motam, non vero ſufficienter dilutam & promotam fuiſſe materiam acrem, cui hoc malum originem ſuam debet, judicavi, nullus tamen dubitans, quin ſi plus infuſi bibiſſet, tandem remedio quoque fuiſſet:* neque etiam in hoc affectu remedia *ambrata*, ex *moſcho* & ſimilibus parata conferunt, quæ bilem & ſanguinem *valde* commovent, qualis illa formula eſt, quam *Poterius in Pharmac. ſpagyric.* contra hunc affectum commendat, in qua *magna opii* & non exigua quantitas *croci*, *ambræ* & *moſchi* deprehenditur, quam *Hertodt in Crocol. p. 156.* etiam profert: *Opiata* remedia nec *facile*, nec *libere*, ſed valde *provide* admittantur, aut non niſi *perquam correcta* & in *refracta* doſi propinentur: *multiplex*, aut varia, nec non *multa* remediorum ingeſtio vitanda eſt, quoniam inde facil[illegible] totus ſtatus hujus mali pervertitur: neque confert hoc ma[illegible]lum tantum *palliative* curare, aut *principalem* cauſam mini[illegible] tollere, ſed quantum fieri poteſt e *fundamento* extirpar[illegible]

al[illegible]

aliàs ſi hæc cautela cum reliquis non obſervatur, varia *corrupta* morboſarum aliarum afflictionum ſchemata inde oriuntur.

§. X.

Quod *Poſitivam* præſentis mali Therapiam attinet, tunc Cura *principaliter* eo dirigenda eſt, ut *genuina cauſa* removeatur: quamvis vero *cauſæ* profligatio *magis* ad *præſervationem* affectus pertineat, tamen *aliquando* hæc indicatio in *curatoria* methodo obſervari debet, tanto magis, quando præſentia illius cauſæ *præceps* quoddam periculum minatur: Si itaque *cauſa* hujus affectus eſt ſaburra *bilioſa, acida,* valde ſalſa, tunc conducunt prius auxilia, quæ hanc ſaburram *diluunt, leniunt, involvunt* & corrigunt, quo ſpectant decocta ex *avena* excorticata, *hordeo* excort. *C. C.* raſpato, *oryza*, rad. Scorzoneræ, Liquiritiæ & paſſulis Maj. & min. eo ſpectant etiam Gelatinæ liquidæ, modicè paſſulatæ, juſculum ex carne vitulina non valde pingue, potio ex Aqv. deſtill. Scorzon. plantag. roſar. Cichor. ſcabioſ. fl. ſamb. til. papav. rhæad. card. mar. chæref. cort. citr. Gelat. C. C. liquid. nitro depur. præterea conducunt *magiſteria* abſorbentium & *teneriora* abſorbentia, velut Lap. 69 citr. præp. & pulverif. C. C. ſine ign. ejusque magiſterium, MP. ppt. Cryſtall. montan. ppt. Corall. rub. ppt. aut horum Magiſterium, ut & Magiſt. dentis apri & mandib. luc. piſc. & quoniam terrea talia ſubjecta in præſenti affectu multam opem conciliant, ita *modicus* uſus *Specierum Diacretæ Mynſichti* correctarum, cum nitro purif. mixtarum, non raro deſideratum auxilium afferunt: huc quadrat uſus *mucilaginis ſemin. cydon.* cum cryſtall. ppt. quod auxilium pariter in hoc malo laudat *Henr. ab Heer lib. 1. obſ. 16.* pertinent huc decocta ex emollientibus & *tenuem* ac fluidam *mucila-*

ginem præbentibus ſpeciebus parata: hiſce ſubjectis *ſuccum fluviatilium cancrorum* annumeramus; *caute* tamen terræ ſigillatæ atque bolares adhiberi debent: præcipue vero ad Sodam cum *peculiari* elogio Lap. 69 a *Sennerto tr. de Febb. Lib. 2. c. 17.* & in *Prax. l. ſupr. cit.* ubi de hoc affectu tractat, nec non *Sachſio in Gammarologia Sect. 2. cap. 6. p. 731.* commendantur; Deinde *Cretam* pro evporiſto in hoc malo communiter æſtimant, quæ ſubſtantias *acres abſorbendo* & *tonica* virtute agendo cognita eſt, quæ tamen *modice* uſurpari debet, quia ventriculum facile *moleſte* afficit, onerat, enervat, *viſcidam* cruditatem in illo colligit, & neceſſariam *alvi lubricitatem* & *excretionem* incraſſat, ac *impedit*: cum æquali *circumſpectione* proficit etiam in hoc affectu C. C. uſtum: quando vero talia *terrea* aliquoties aſſumuntur, præſtat *ſufficiens* vehiculum aut *liquidum* temperatum ſubjectum aſſumere, mediante quo illa *correcta* & *involuta* ſaburra *facilius* & *citius* ad *evacuationem* diſponi & promoveri queat: huc referimus illud Euporiſton, quod conſiſtit in *orbiculo pomi citri* cum *lap. 69.* conſperſo ac ingeſto, cujus *Lentilius Jatromnem. theoret. pract. Part. II. cap. XI. p. 443. ſeq.* reminiſcitur; de quo auxilio author *præſentaneam* opem promittit, quod *bilem acrem obtundendo* & tenuem *incraſſando*, ne ventriculum *offendat* ſatis efficaciter operatur: quod remedium etiam in illo caſu conducit, quando hic affectus in *nuda ſanguinis congeſtione* conſiſtit, ſine præſentia ſaburræ ſtimulantis *acrioris*: *Hippocrati* familiare fuit ad *acrimoniam* bilis corrigendam ut *farina hordei* cum *brodio caponis*: *Platerus* aliud tale leniens ex *pineis excorticatis* & *ſucco portulacæ* ordinavit Quando itaque tam *infenſa* materia in *ventriculo* præparata & *correcta* eſt, tunc conveniunt auxilia illam *educentia*

qua

quare vel *ſimplicia diluentia*, quæ ut modo annotavimus, eandem ſaburram etiam corrigere adjuvant, ejus *evacuationem* facilitant, hinc *Joubertus loc. ſupr. cit.* pro *vomitorio* commendat *aquam tepidam* cum *oleo rancido* mixtam, qualia pinguiaranceſcentia alioquin facile nauſeam & vomitum provocant; nos vero tales pinguedines, ubi magma bilioſum & aliud acidum in culpa eſt, non probamus; & ſi non *leniſſimo* modo per *ſimplicia diluentia*, jam nominata, ubi vel *ſimplex aqua mediocriter* calida ſatisfacit, vomitus excitari poteſt, *alia vomitoria* non ordinamus: admittimus rectius auxilia *deorſum* bilem educentia, utpote decoctum tamarindinatum avenaceum, aut decoctum rhabarbarinum & ſimul paſſulatum, aut ſolutionem Mannæ in decocto avenæ; vel extractum rhabarbari cum prædicta potione propinandum; quemadmodum cum tali potione pro *citiori* bilis abſterſione ſociamus *Lapidem prunellæ*, quem aliàs *Cnæfelius in A. N. C. Dec. I. an. 3. obſ. 210.* cum aqua *florum Sambuci* ad hunc affectum laudat: qui vero haud promiſcue ordinandus eſt; quod ſi etiam ex certis ſignis *major colluvies bilis* in *ventriculo* & *inteſtinis* præſumatur, tunc *clyſteres emollientes* & leniter ſaliti conducunt, qui illius ſaburræ bilioſæ excretionem per *alvum facilitant* & accelerant: *alia* alvum ſtimulantia, aut etiam *aloëtica* in hac neceſſitate *non* conveniunt: quemadmodum etiam *Rhabarbarum* ſub hiſce circumſtantiis *aptum* & proficuum evacuans eſt, ita illud tamen in *pulverulenta* ſubſtantia, aut *craſſa* conſiſtentia *deſideratos* effectus *non* præſtat: quare præter modo laudatum *decoctum rhabarbarinum*, etiam *Elixirium* ex prædictis aquis, gelatina C. C. & *extracto Rhabarbari* & centaurii min. confici & ordinari poteſt: quibus ſingulis temperatis, appropriatis, ſecuris & efficaci-

 bus

bus auxiliis ſaburra illa *acris bilioſa*, *acida*, ſalſa &c. ſubjugatur, ne ulterius aut ventriculum offendat, aut præſentaneam *anſam* præbeat, quo *impetuoſa congeſtio ſanguinis* ventriculum irruat & occupet.

§. XI.

Quando hic affectus *ſanguinem magis* pro ſua *cauſa* agnoſcit, qui utplurimum aut *quantitate nimia* peccat, aut per *alias* cauſas valde *commotus* & impulſus eſt, in ventriculo vero prædicta *cauſtica* ſaburra *deeſt*, tunc motus hic *congeſtorius leniri*, *temperari*, *ſe dari* & *mitius adſtringentibus* reprimi poteſt: e *lenientium* numero proſunt prædicta *Decocta*, ſive *pharmaceutica*, ſive domeſtica, velut Decoct. C. C. *mitius* citratum, Avenæ paſſulatum, hordei citratum, ſiquidem præcipue in *tali* caſu & cauſa *temperatæ aciditates* conducunt: quo pertinent alia *vegetabilia acida* velut *Cydoniorum*, Granatorum, ceraſorum nigrorum: *Riedlin. Lin. Med. An. 2. Novembr. obſ. 28. p. 879. Ceraſorum* acidorum *exſiccatorum* utilitatem in hoc caſu teſtatur: pertinent huc alia *lenientia* mediæ indolis, velut Rad. Liquir. vel in pulvere, vel in decocto, nec non *Siliqua dulcis* in ſimili oblatione, cujus poſterioris utilem effectum idem *Riedlinus Cur. med. 669.* comprobat: tali efficacia *leniente* & *reprimente* præditum etiam eſt oleum *omphacium* ſ. *omphacinum*, quod ex immaturis olivis paratum eſt, cujus *Galenus de ſimpl. med. Lib. 4. c. 4.* & præcip. *Zac. Luſit. Prax. admir. Lib. 2. obſ. 4.* utpote *eximii* remedii in hoc affectu reminiſcuntur; idem ex *Finckii Enchirid. Bonetus in Theſaur. Pract. l. c. p. 342.* commendat: laudat hunc Succum Zac. Luſ. quotidie ad unciam unam excipiendum: eo quidam referunt uſum *aceti*; præſtat vero ſingula *acida concentratiora caute* & *parce* uſurpare: ſiquidem illud experi-

men

mentum *Poppii in med. theſ. Lib. 2. p. 320.* quod *bolum armenum* cum *aceto roſarum* mixtum complectitur, magna cum circumſpectione adhiberi debet: *Leniente* porro virtute gaudent *Gelatinæ* cum *acetoſitate citri*, aut *paſſulis* aut ſucco rubi idæi & cremore tartari mixtæ: hiſce annumeramus *Emulſiones* ex aquis deſtill. temperantibus, quibus aquas *diſcutientes* & *ſedantes* adjungimus, velut chamomillæ vulg. & ſambuc. nec non ex amygd. dulc. pineis, ſem. card. mar. 4. frigid. major. & papav. alb. parandas: Deinde conducunt *temperantia* remedia, velut prædicta *abſorbentia*, vel ſimplicia, vel præparata, vel in magiſteriis ordinanda, ſocianda cum nitro depur. aut cremore tartari, qui poſterior ſeorſim in hoc affectu commendatur in *A. N. C. dec. 1. an. 3. obſ. 210.* ejusmodi pulveri addi poteſt tantillum cinnabaris: ordinamus pariter pulverem antiſpasmodicum Stahlianum, attamen *cautelam* illam annectimus, ne *ſalia fixiora* digeſtiva aut *indiſcretim*, aut *liberalius* adhibeantur; ſiquidem etiam Lapisprunellæ, quem antea cum *moderamine* & *diſcrimine* ordinavimus, in *alio* ſubjecto in *eodem* affectu *contrarias* præſtitit operationes, referente eodem authore obſervationis ex A. N. C. modo allegatæ: inde liquet quod *non omnia omnibus* conducant: hoc temperante effectu in præſenti caſu gaudet *ſpiritus nitri dulcis*, ut & *oleum vitrioli dulcificatum*, quæ tamen ſubjecta in forma potionis ſufficienti vehiculo *diluente* attemperata, proſunt; quæ contra *parum diluta* affectum magis *exacerbant*: Porro in hoc affectu, ubi prædicta cauſa adeſt, conferunt etiam *ſecura ſedantia*, quæ inprimis in formula *Mithridatii Damocratis Riedlinus Lin. Med. An. 1. Septbr. obſ. 29. p. 310.* laudat: aſt præſtat etiam *tales* compoſitiones *miſcellaneas*, quo *theriacam* pariter referimus, *circumſpecte*

pro-

propinare: neceſſe vero eſt, ut talia *ſedantia* remedia, cum *temperantibus* mixta, in *liquida* formula propinentur: quare præter hæc commendamus Elixirium ex aqv. deſtill. ſcorzon. plantag. portulac. millefol. ſambuc. c. b. meliſſ. ſcorzoner. ut & ex extracto chamomillæ vulgaris, tinctur. papav. rhæad. oc. 69. pulveriſ. & nitr. puriſ. confert ſub hac indicatione Decoct. fl. melilot. chamom. vulg. & papav. rhæad. Opiata *vulgaria*, aut ſimplicia, aut copioſa in hoc affectu *male* conveniunt, quare potius *omittenda* ſunt. *Tomica* denique ſint perinde *temperata* & ſelecta, velut Tinctura Corall. antimonium martiale diaphoreticum Ludovici, crocus martis Zwelferi & Stahlii, Tinctur. martis, tartariſata, Corall. rubr. præpt. C. C. uſtum, ebur uſtum, nux moſchata, ſuccin. alb. præpar. ſpecies diacret. Mynſicht. correctæ, maſtix pulveriſata, qualia ſubjecta in diverſis formulis propinari poſſunt: præſtat vero ſub uſu ſingulorum horum auxiliorum *alvum* apertam ſervare, & ſi *neceſſitas* requirit aut *clyſtere* emolliente, aut *ſuppoſitorio* leniente & mitius ſtimulante admonere; quemadmodum ex diæteticis *paſſulæ* coctæ exacinatæ, pruna cocta, poma dulcia cocta & quo magis dulcia talia, ſunt *abſente* præcipue ſaburra *bilioſa* conveniunt.

§. XII.

Prout hæc admodum *probata*, *ſecura* & *efficacia* ſunt auxilia, quæ in præſenti malo conducunt, ita adhuc *alia* minus *cognita*, minus *uſitata*, minusve *ſufficienter* adhibita & probata allegantur: ita inter alia minus uſitata ſubjecta eminet *Sem. card. mariæ*, quod in formula *Emulſionis* ſæpe exoptatam affert efficaciam atque opem: de *albo græco Ettmüllerus l. c.* dicit: *album græcum ſive ſtercus canis, oſſa vorantis a multis eſt probatum: Lonicerus in Herbario*

rio (referente etiam *Grülingio Med. Pract. Lib. 3. Part. 1. c. 12. & Zornio in Botanol. Med. ſub tit. Quercus p. 554.*) *Folium quercus, linguæ* impoſitum laudat; ita alii aquam deſtill. alii ſyrupum & conſervam ex ſummitatibus quercus approbant. *vid. Horſtius lib. 4. obſ. p. 194.* idem *Zornius fructus Cynosbati* ad ſodam commendat: *Wedelius in Amœnit. Mat. Med. p. 105.* refert: *ad Sodam curandam in aulis quibusdam ſolenne eſt uti CARLINA ſcandente, poſt florem perfectum in ſemen fatiſcente, quæ ſolo obtutu eam curat:* occurrit etiam inter medicos cura hujus affectus per *imaginationem*, quam allegat *Rommelius in A. N. C. Dec. 2. an. 8. obſ. 179.* ſub titulo *ardoris Stomachi facilis & ridicula curatio:* de quo experimento *Lentilius in Jatromnem. theor. pract. l. c. p. 444. 445.* hæc profert verba: *Ridiculum eſt Agricolæ in chirurgia parva tr. II. p. 251. experimentum, a Rommelio allegatum: ſi quis ardore ſtomachi vexetur, ille ſibi ſolum imaginetur reſtim, vel laqueum axungia vulgari a rota decidua perlitum & in angulo aliquo domus pendentem, & ſtatim ab hoc ſymptomate moleſto liberabitur: Id experimentum pluribus opem tuliſſe, ſua quoque obſervatione Rommelius ibidem confirmat. Recte cauſam adſcribit fortiori imaginationi & profundiori contemplationi, qua ſpiritus quaſi aliorſum diſtrahuntur, aliudque quaſi agere jubentur, quemadmodum ſæpiſſime in doloribus capitis, dentium &c.* Hoc experimentum *Grülingius l. c. p. 349. ineptum & deliranti ſimile remedium appellat:* Quando hic affectus cum *Menſibus* & *Hæmorrhoidibus, perverſe* procedentibus, conſpirat, aut cum malo *hypochondriaco* & *ſplenetico* cohæret; tunc præter *lenitionem* & moderatam *promotionem* alvinæ excretionis, condu-

cunt *præſervatoriæ V. Snes in pede*, minus in brachio, *congruis* temporibus *repetendæ*, & in *hæmorrhoidariis* ſubjectis, *poſt præmiſſam* talem V. Snem *Hirudines* ad *loca hæmorrhoidalia* apponere licet & confert; poſt uſum talium auxiliorum, *ventilationem ſanguinis* concernentium, confert ordinatio *Clyſterum lenientium:* porro in tali caſu & cauſa *Curatorie* conveniunt *pediluvia*, nec non *fomenta vaporoſa* ex *emollientibus* & *ſedantibus* ſelectis ſpeciebus, ex parte ſupra commendatis, parata, ut & *inſeſſus* cum *ſimilibus* ſpeciebus mixti: proinde conferunt *Cataplasmata* ex rad. valerian. caryophyllat. vincetox. ir. flor. ſigill. Salom. herb. menth. meliſſ. abrotan. hyſſop. matricar. flor. chamom. vulg. ſambuc. melilot. roſar. rubr. papav. rhæad. aneth. bacc. laur. & tantillo camphor. & caſtor. cum lacte paranda, & intra linteamina ad ventriculi affecti regionem *modice calida* applicanda: proficit etiam Empl. de ammoniac., malaxatum cum empl. de cruſta panis, de galban. crocat. de ſpermat. cet. & ranan. una cum Camphora & theriaca ſimpl. aut loco hujus cum Caſtoreo: aut applicetur Sacculus ex flor. chamom. vulg. Sambuc. aneth. Rad. liquirit. valerian. nuce moſch. maſtich. ceraſſ. alb. furfur. tritic. leniter toſtis, herb. menth. Camphor. & pauxillo croci orient. leniter calefactus. *Gravidarum* Sodam præſervant *opportunæ* & *congruæ* ſanguinis artificiales imminutiones, modica laxatio per *rhabarbarina*, *paſſulas laxativas* &c. nec non conſervatio *lubricæ* excretionis alvinæ: obſervetur *Diæta* conveniens, potus *ſufficiens* & *motus* corporis *æqualis:* curaterie conducunt prædicta *Lenientia* & *Temperantia* remedia; quibus conſiliis &

auxi-

auxiliis hoc moleſtum Graviditatis ſymptoma *legitime* & *ſecure* tractari, mitigari & ſubjugari poterit.

§. XIII.

Supereſt ut adhuc quædam conſilia, *Diætam*, præc. concernentia, ſuppeditemus. Vitanda itaque ſunt alimenta & potulenta aut *quantitate*, aut *qualitate* infenſa, & *talia* quidem, quæ §. 7. ex parte commemorata ſunt: quæcunque enim ad *largioris*, aut *acrioris bilis* geneſin contribuunt, illa *parcius* adhibenda ſunt: quæcunque *ſaburram acidam*, *acremque* in ventriculo generant, illa perinde omittenda ſunt; quare etiam nonnulli homines hoc affectu *facile* & *crebro* vexati, *vina acida* perferre nequeunt, hinc *A. N. C. Dec. 1. an. 3. obſ. 210.* recenſent caſum, ubi ex *vini rhenani potu* ardor hic ventriculi *revocatus* fuit: vitandi ſunt *fructus horæi* & *leguminoſa* ſubjecta, quæ videlicet multam *flatulentiam* cauſantur; præcipue etiam *talia*, quæ valde in ventriculo *confermentant*, *bilem acuunt* & *acidum* augent: porro vitanda ſunt præcip. *pinguia* & inter illa pinguedo *vervecina* & *ſuilla*, nec non *dulcia*, *mellita*, in butyro frixata, *valde* aromatica, *piperata*, *Spirituoſa* ac *ventriculum exæſtuantia*, *fæculenta*, & quæ alias cum *bile* & ſaburra *acida male* conveniunt; quo *ex parte lacticinia* referimus; accedunt alimenta *crudum* & *craſſum* chylum præbentia, concoctu *difficilia* & ventriculum *moleſtantia*, *multo ſale* imprægnata, *duriores* carnes, *fumo* referti cibi, *piſces* craſſa ac *viſcida* carne præditi &c. conferunt rectius *evpepta*, *temperata gelatinoſa*, *alvinam* excretionem *facilitantia*, bilem præcipitantia & *abſtergentia*, prunata, paſſulata: quare pro potu aliquando Decoctum ex rad. Scorzon. Linquirit. gramin. C. C. raſp. L. Santal. citr. paſſul. maj. & min. & ſem. fœnic. convenit: *Vini* potus *parcus* & *ſelectus* ſit, & licet *Riedlinus Cur. med. 447.* caſum referat, *de ardore ventriculi vino moſcato cedente*, tamen *individuale* hoc auxilium eſt, quod *ſingulis* commendari *haud* debet, interim & hoc & *adultum* vinum *Franconicum* variis ſubjectis proficit, modo in ventriculo *bilioſa* & *acida* ſaburra *ſeparata* & *evacuata* ſit, neve *ſanguis nimium* commoveatur: in ſub-

jectis

jectis vero *plethoricis* & ex cauſa *uberioris* & *ſubtilioris* ſanguinis hunc affectum tolerantibus, *provide* & *parce vini* uſus concedi debet: quodſi vero vinum cum *aqua diluatur*, paulo magis ejus uſus admitti poteſt: In utroque caſu ubi vel *acrimonia* ventriculi in diverſo humore & varia ſaburra peccat & abundat, vel ubi ſanguis juxta prædictam demonſtrationem urget, *Acidulæ* vel *temperatiores*, vel *efficaciores* præſervatorie, aliquando curatorie & diætetice conducunt; quemadmodum *aquæ ſimplicioris*, *modice* frigidæ, aſt *moderatus* uſus æque ad malum hoc vel *præcavendum*, vel mitigandum conducit: hinc *Grülingius l. c. in notis p. 349.* dicit: *ſi quis a potu calido & generoſo ſibi metuit de Soda ſ. ardore Stomachi, is antequam cubitum ſe conferat, hauſtum frigidæ, vel de Syrupo Cydoniorum ſumat*: Præcipue opera danda eſt, ut in talibus ſubjectis, quibus hoc malum imminet, aut familiare eſt *excretio alvi* & *tranſpiratio inſenſibilis* in *juſto ordine* conſervetur, deinde ut conſuetæ *ſalutares* aut *ſpontaneæ* aut *artificiales ſanguinis* imminutiones *legitimo* ſucceſſu gaudeant, & *placide* ac *congrue* continuentur ac promoveantur: *Frigus ſenſibile* in & externum excludatur: *Motus corporis* conſtans & æqualis exerceatur: per intervalla adhibeantur ſcopo *præſervatorio* prædicta *laxantia*, *bilem corrigentia* & *involventia*, nec non *Lenientia* & *temperantia*: quæ ſingula & ex hiſce fluentia, aut cum iisdem cohærentia alia conſilia & auxilia in præſenti caſu proficua commendare placuit: Obſignamus itaque præſentem laborem pio voto, divinam benedictionem devotiſſimis precibus rogantes, ut conatus hoſce & alios noſtros ſalutari coronet ſucceſſu atque

F I N E.